



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

III. Christus Dominus omnium, hæres vniuersorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

nisi occasione peccati, atque adeo totum naturæ ordinem, & aliqua ex parte ordinem gratiæ, in priori rationis signo esse decretum: postea vero conclusio per peccatum ordine diuinitus constituta, successisse remedium, per Christi aduentum tunc præfinitum. Quare sistendum est in alterutro priorum duorum modorum explicandi hunc titulum.

Vsus doctrinæ.

Vsus doctrinæ esse debet, immensa quædam æstimatio dignitatis Christi Domini, tanquam apicis creaturarum omnium. Apud Proclum in Chrestomathia, descriptus habetur ritus Daphnephoriorum, quem possit quis ad Christum aptare hac ex causa. Gestabatur oleagineum lignum lauris ornatum, & exornatum variis floribus. In apice ænea sphaera imposita erat, ex qua alia grandiuscula subiecta, tum minor plurimæ dependebant. Medio ligno purpureæ coronæ aptabantur, minores superioribus trecentæ & 65. numero. Suprema sphaera iuxta Proclum, Solem & Apollinem, proxima lunam, globuli alba & stellæ, coronæ cursum annum significant. Comitabantur Daphnephorum, Chori virginum. Hæc summum de eo ritu ex Proclo. Quæ sic licet accommodare: In ordine quoque creato, sed nominatim in supernaturali, Christus summum verticem occupat, ei subest immediatè Deipara, quam cælestes ordines beatorum spirituum consequuntur, Apostoli & Martyres, & omnes qui in temporum cursu perueniunt ad regnum, perficiunt fertum hoc decoris. Comitantur illuc aliquando peruenturi, qui hic viuunt puri & nitentes.

CAPVT III.

*Christus, Dominus omnium, heres
Vniuersorum.*

327 **D**OMINIUM aliud est proprietatis, aliud iurisdictionis. Hoc quia erga subiecta duntaxat ratione pollentiā exercetur, infra videbimus quale nam fuerit in Christo. Nunc dominium proprietatis, quod æquè in omnia potest cadere, consideremus. Potest autem dominium proprietatis in Christo distingui duplex, nempe vnum naturale, siue fundamentum in titulo humano, alterum supernaturale.

*Dominium proprietatis humanum,
tenue in Christo.*

Primum dominium in Christo, ad valde pauca extensum est; Tantum abest vt sic illud quo Christus est Dominus omnium. Est quidem de fide definitum à Ioanne 22. Extrah. cum inters nonnullos, & Extra. qui quorundam,

Christum habuisse aliquando alicuius rei dominium, saltem simul cum collegio Apostolico spectatum. Semper enim Pontifex de dominio illo agens, Christum & Apostolos iungit; nec agit de dominio Christi ante baptismum quia tunc Christus erat quasi filius nondum emancipatus, idcirco nihil habens proprium: sed tantum agit de Christi dominio post baptismum, cum iam instituerat collegium Apostolicum: & pro eo tempore, dehnit fuisse in Christo & Apostolis, rei alicuius dominium humanum, quale passim habent ceteri homines: idque negare, docet esse contra fidem; & patet ex loculis quos Iudas prædatus, dicitur fur; quo pacto non appellaretur, nisi loculos expliendo, peccasset contra iustitiam, & violasset dominium Christi, vel eius simul & Apostolici collegij in talia bona. De hoc igitur non licet sua fide dubitare. Quinetiam nonnulli volunt, Christum in aliqua prædicti temporis parte, scorsim ab Apostolis spectatum, vt infirmis benignè condescenderet, habuisse sibi aliquid proprio & peculiari dominio: Idque de loculorum dominio affirmat Iustina, disp. 1. in Paulum cap. 4. à num. 25. Tamen saltem in alia aliqua prædicti temporis parte, certum est Christum nihil priuatim habuisse, sed ad summum in communi: vt ex eo constat, quod Matth. 8. proficitur se pauperiorem vulpibus foueas habentibus, & volucris cœli, nido non destitutis. Et sunt qui addant, pro aliqua parte eiusdem temporis, Christum nullius prorsus rei, atne in communi quidem habuisse dominium. Ita enim censent Miranda t. 1. Manual. Prælat. quæst. 11. art. 3. Azor. tom. 1. l. 1. c. 2. cap. vltimo q. 12. Valq. tract. de reddit. Eccles. cap. 1. §. 1. num. 5. Quamuis autem hoc incertum esse dicat Suares t. 2. 3. p. d. 28. f. 2. & impugnari validdè videatur, ex eo quod vestes quas Christus semper habuit, nullius alterius fuerunt quàm Christi saltem simul cum collegio Apostolico eas in communi possidentis: Nihilominus per se liquet, etiam si hoc qualecumque dominium Christo, aut cum Apostolis communiter, aut ipsi soli & priuatim concedatur, longè augustius esse quàm dominium aliud, quod in Christo agnoscere potest.

*Supernaturale in omnia, qui
repudiens,*

328 Hoc est secundum dominium proprietatis, quod *supernaturale* vocabam, quia fundatur in supernaturali titulo, quamuis spectato obiecto qua ex parte temporalia complectitur, dici possit *temporale*, vt & *spirituale* qua ex parte substantias & formas spirituales comprehendit. Nihil enim est infra Deum, quod ambitu huius domini non comprehendatur, & Christi non sit, etiam directè. Huiusmodi amplissimum & multis creaturarum finibus coercitum dominium proprietatis, Christo vendicant scripturæ, ac Patres, suffragante ratione. Delibabo selectiora quædam, præter alia quæ in hanc rem producant recentiores, qui huic sententiæ de Christi dominio proprietatis in res

T 3 omnia.

omnes, astipulantur: vt Nauarrus in cap. no-
uit. de iudiciis, notat. 3. num. 64. Toletus in
cap. 13. Ioan. ad illud, *sciens qui omnia dedit ei*
Pater in manus, & ibi annot. 17. in fine, In-
stian. Hebr. 2. 8. & Prolego. in Paulum disp.
1. c. 4. num. 25. Lorinus in psal. 8. v. 9. in fine,
Alphonfus Mendoza relect. de dominio
Christi à num. 13. Salaz. in cap. 8. Prouerb. à
num. 105. Præpositus 3. p. quæst. 22. dub. 2.
Refragante tamen Vasque 3. p. d. 87. c. 6. qui
dominium hoc Christi supernaturale, depres-
sus diuino, & superius humano fundato in
titulo merè temporali, pertinsensque ad om-
nia reata, putat commentitium, & pugnans
cum dominiis humanis, quæ nemo diffiteretur
aut diffiteri potest. Et videri etiam potest,
pugnare cum Christi paupertate, tam decan-
tata in scripturis & apud DD.

*Admittitur, probaturque ex
Scripturis.*

329 Nihilominus dominium quod Chri-
sto assignabam, agnoscunt scripturæ non vno
loco. Eoque fortassis respiciebat is qui Pet-
rum Blessensem damnauit blasphemæ, eo
quod Christum dixisset, factum esse pro no-
bis pauperem, vt ipse Blessensis refert in In-
uectiua contra deprauatorem operum suo-
rum. Quæ quidem inepta prorsus est censu-
ra; cum scriptura ipsa loquatur eo modo quo
Blessensis. Tamen non potuit alium colorem
habere qui eam censuram tulit, quàm quod
in variis scripturis prodatur Christi domi-
nium, quo videretur paupertas excludi. Inpri-
mis ergo S. Petrus Act. 10. hoc Christi domi-
nium videretur tradere verbis illis. *Verbum mi-*
sit Deus filiis Israël, annuncians pacem per Iesum
Christum, hic est omnium Dominus. Video id
posse accipi de dominio iurisdictionis. Vide-
turque eum locum sic accepisse Nyssenus
orat. 11. (imo 12.) contra Eunom. verbis illis.
[Deus etsi serui formam induit, non ipse
seruus efficitur, sed ad dominationem & re-
gnum extollit quod subicitur, Dominum &
Christum faciens, quod humile & humanum
est.] Idem habet Cyrillus Hieros. catech. 10.
Dicit quidam ex Apostolis &c. *Sermonem mi-*
sit Euangelizans per Iesum Christum: Hic est
omnium, Dominus. Quando autem dicit, *om-*
nium, nullam domini partem excipit. Siue
enim Angeli, siue Archangeli, siue Principa-
tus, siue quidpiam eiusmodi rebus creatis ab
Apostolis nominatum; omnia sunt dominio
filij subiecta. Angelorum est Dominus, sicut
habes in Euangelis; *Tunc recessit ab illo Dia-*
bolus, & Angeli accesserunt, & ministrabant ipsi;
quod est officium seruitutis. Cum ex virgine
nasci debebat: ministrabat tunc Gabriel;
propriam dignitatem esse reputans, ipsi mini-
strare. Alia loca addit quæ solum dominium
iurisdictionis sonant.

330 Posset igitur locus Petri, non de do-
minio proprietatis, sed de solo dominio iu-
risdictionis seu regno accipi. Sed cum scriptu-
ra non distinguat, nec nos distinguere debe-
mus. Quinetiam vox *domini* potius sonat do-
minium proprietatis. Et quæ rationes, Chri-
sto arrogat dominium vniuersale iuridici-

tionis, eadem dominium quoque propieta-
tis vendicant, vt mox videbimus. Itaque non
videtur negandum, quin princeps Apосто-
lorum, Christum denominans *omnium Domi-*
num, signatum voluerit vniuersale dominium
proprietatis, quod Christo concedimus. Idem
tradit Paulus Hebr. 2. accommodans Christo
illud psalmi 8. *Constituisti eum super opera ma-*
nuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius.
In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit
non subiectum ei. Quæ item tradit 1. Corinth.
15. verbis illis. *Omnia subiecit sub pedibus eius.*
Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine do-
bio prater eum qui subiecit ei omnia. Nihil luco-
lentiùs aut expressius, in hanc rem, desiderari
videretur posse. Præterea verò idem Apostolus
Hebr. 1. agens de filio nobis loquente in Pa-
tris nomine, atque adeò homine, ait, *quem con-*
stituuit heredem vniuersorum idcirco quod desce-
bens Hebraismo admodum frequenter, posses-
sionem ac dominium omnium. Nec omitten-
dum est illud ex cap. 13. Ioan. *omnia dedit ei*
Pater in manus. Non me latet, aliquos Patres
hæc verba ita accipere, vt sensus sit, Deum
commisisse Christo totum negotiorum salutis
ac redemptionis nostræ. Ita S. Chrysostomus
hom. 69. in Ioannem, & Origenes tomo 32.
in idem Euangelium, ac Theophilactus; con-
sentiantque Toletus, & Maldonatus ad lo-
cum prolatum. Existimo tamen adhærentem
potius aliis, qui verba proposita, de vniuer-
sali ac pleno in omnia Christo dominio in-
terpretantur: inter quos est S. Augustinus
tract. 55. in Ioannem, S. Cyrillus lib. 5. in idem
Euangelium cap. 3. S. Gregor. 3. moral. c. 12.
Theodorus Hereadeotes ac Mopsuestenus
ad locum citatum. Et eorum aliqui rectè
confirmant suam hanc interpretationem, et
scopo Euangelistæ, qui narraturus Christi
Domini summam demissionem in extrema
cæna, ne Christus ex abiectione voluntaria
ad lauandos discipulorum pedes, cuiuspiam vi-
lesceret; præfatur cum quamuis esset hæc
vniuersorum, & planè omnium Dominus;
tamen mox abiturum ad Patrem, vt restaret
magis relinqueret tam necessariam mortali-
bus humilitatis doctrinam, voluisse discipu-
lorum pedes lauare.

Supplicium SS. Patrum.

331 Habemus pro veritate in qua ver-
samur, non modò scripturas allegatas, sed
etiam Patres qui eas in sensum propositum
sunt interpretati, quibus addo nonnullos
alios. Inprimis verò S. Bernardum lib. 3. de
confid. cap. 1. sic affantem Papam Eugenium,
cum dixisset Apostolos, constitutos esse prin-
cipes super omnem terram. [Eis tu successisti
in hæreditatem, Ita tu hæres, & orbis hære-
ditas. At quatenus hæc portio te contingit,
aut contigerit illos, id sobria consideratione
pensandum. Non enim per omnem vt reor
modum, sed sanè quadamtenus (vt mihi vi-
detur,) dispensatio tibi super illum credita
est, non data possessio. Si pergis vsurpare &
hanc, contradicis tibi qui dicit, *meus est orbis*
terra, & plenitudo eius. Non tu ille, de quo
Propheta; & eris omnis terra possessio eius.
Christus]

Christus hic est, qui possessionem sibi vendit, & iure creationis, & merito redemptoris, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est; *posula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra?* Possessionem & dominium cede huic; tunc illius habere. Locus est expressissimus & citra expensionem ullam manifestissimus. Idem S. Bernardus serm. 2. de Ascensu Christi operibus confirmat Christum fuisse vniuersorum Dominum, talémque ab omnibus creaturis agniti docet. [Terra enim (inquit) cognouit dominum, quia ad vocem virtutis eius, cum clamasset magna voce, *Luxare veni foras*, mortuum reddidit. Cognouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita ut Apostoli cum putarent phantasma esse. Cognouit infernus, cuius ipse portas areas, & vates ferreos confregit, ubi & ligauit illum insatiabilem homicidam qui vocatur *Diabolus & satanas*. Profecto qui mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit claudos firmavit, & omnes exsufflauit infirmitates, Dominus omnium fuit; & eadem manus qua fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic & qui in ore piscis, cum ipso pisce stateram inueniri prædixit, patet procul dubio quia maris, & omnium quæ in mari mouentur, Dominus fuit. Qui verò traduxit areas potestates, & affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas, potestatem accepit.]

S. Anastasius Sinaita, initio libri septimi (imò octauo, nam vitiosa est inscriptio in omnibus quas vidi editionibus,) explicatissime & pulcherrimè tradit, quomodo Christus sit Dominus. Obseruâtque per septemdecim prima Geneseos capita, (iuxta diuisionem capitum quam sequebatur,) quandiu sermo fuit de prima mundi molitione, Deum simplici nomine *Dei*, fuisse designatum. Ex quo autem ventum est ad iteratam narrationem molitionis diuinæ, in typum instaurationis rerum per Christum faciendæ, illicd Molem non ultra nominasse *Deum* simplici nomine *Dei*, sed vocasse *Dominum Deum*. [Nam quod de humanæ naturæ ab eo susceptione accipitur hoc nomen, *Dominus*, audi David dicentem; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis*. Et rursus, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextera meis*, nempe post susceptam carnem. Sedere enim est proprium corporum. Vnde & Gabriel è cælo hanc deduxit appellationem, dicens gloriofissimæ Deiparæ; *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Et Gabrielis coangelis dicunt pastoribus qui erant in Bethleem, *Natus est vobis Christus Dominus in ciuitate David*. Cum quibus Elizabeth, ut præclara par Angelis: Angeli mater, dixit pari Angelis, & quæ erat vel Angelus vel Archangelus, & etiam supra Angelos Dei matri. Et vnde mihi hoc, ut veniat mater Domini mei ad me! Paulus autem id quod Christi Domini erat corpus, nominat Dominum. Non, (inquit,) *Dominum gloria crucifixi*. Et in descensu ad inferos, & in assumptione ad cælos Dominum fortem, & potentem, & Dominum exercituum, Christum Angeli appellant.]

En Christum, iudice Anastasio, absolute & simpliciter Dominum, & antonomastice sic denominatum, ex quo carne vestitus est Deus S. tamen Athanasius orat, contra Sabellij Gregales, plerasque Scripturas addens, quibus probet dominum in scripturis, de Verbo non de Christo dici. Ut ut sit, aperte à nobis stat Anastasius.

S. Gregorius hom. 8. in Euang. exponens cur Christus peregrè sit natus non domi parentum, sic habet. [Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet non secundum potestatem dico, sed secundum naturam. Nam de potestate eius scriptum est; *In propria venit*. In natura etenim sua, ante tempora natus est; in nostra, venit ex tempore. Qui ergo æternus permanens temporalis apparuit, alienum est ubi descendit.] Faterur S. Gregorius, Christum secundum humanam naturam nudam, natum esse in alieno: potestatem tamen Christi in omnia, ex quo venit, perspicue agnoscit: rationemque optimam huius veritatis continent eius verba, quam propositum ac euolutum venio.

Ad idem, ratio valida ex vnione.

342 Rationem ergo huius in Christo dominij proprietatis, ex eo inprimis licet eruere, quod Christus in propria venit tanquam filius familias, non ut extraneus. Quo etiam facit, quod Apostolus Christum vocat *heredem vniuersorum*. Vox enim *heredis*, quæ ut plurimum, siue seclulis impeditis per accidens, ut sterilitate, ingratitudine, scelere, cadit in eum qui est filius, insinuat, Christum titulo filiationis naturalis factum esse Dominum omnium. Nec refert quod vox Græca *καρπογενης* quæ apud Apostolum legitur, significet potius *sortitum*, quam eum quem *heredem* passim vocamus. Hæc enim possessio, & hoc dominium vocari debet *sortis*, spectata prima radice ex qua habetur. Quamuis enim supposito quod Christus sit productus, deberetur ei huiusmodi dominium; tamen ut produceretur, & humanitas Verbo vniiretur, meta fors fuit per comparationem ad Christum; quia ei obtigit absque meritis. Ea que ratione, iustificatio quoque nostra appellatur *sortis*, ut D. Augustinus norauit in psal. 34. Christus ergo sorte factus est filius. Ex quo tamen filius est, verè est dominus vniuersorum, & Patris hæres. Quadrat cum hac ratione perbellè, quod Psaltes de Christo ait psal. 67. *Ascendit super occasum, dominus nomen illi*. Eum enim ascensum super occasum, aliud non esse, quam Verbi Incarnationem, scitè in hunc modum tradit Isidor. Pels. lib. 1. epist. 248. respondens Dracontio Presbytero. [Quæris quonam pacto, cum Deus *oriens* appelletur, ac *lumen inactesum* sit, super occasum tamen ascenderit. Respondeo; *oriens* vocatur diuinitas ortus ex pers, quæ sempiternum lumen est. *Ascensus* autem *super occasum*, est humanæ paupertatis, communio ac Societas, quæ occasus est, ac nostri similis

similis, si cum superno splendore comparatur. Incomparabiles enim hæ duæ res erant, priusquam eas artifex in se ipso copulasset. Ex eo ergo duarum naturarum nexu, unde extitit Christus filius Dei naturalis, effectum est, ut Dominus nomen sit illi. Ut omnia inquam quæ Patris sunt, dominio proprietatis eius subiaceant. Nam si filius, & hæres per Deum. Et cum respectu Dei qui est pater immortalis, hæreditas non possit adiri à filio post patris mortem, necesse est ut cum primùm filius est in statu, paternæ hæreditatis dominium obtinendis, (in quo statu semper fuit Christus, etiam si adhuc viator,) hæreditatem illi cedat, sitque eius Dominus.

Exprimitur per repensum Deo homini ob nos pauperato, diuitias.

343 Hoc ipsum voluerunt non pauci Patres, qui Christum dixerunt iure factum esse Dominum omnium, quia cum diues esset, ut Apostolus ad Corinthios dixit, propter nos egenus factus est. Ea namque paupertas Christi, si de prima & principaliore agamus, alla non fuit, quàm nostræ carnis assumptio. Sic Nazianzenus orat. 38. Christum, cum diues esset, factum egenum, interpretatur assumptisse carnem, quæ egestas ipsa est. Vbi Niceas, carnem dici paupertatem obseruat, quia tam multis eget ad sui conseruationem. Quod Elias ad orationem 10. ferè in fine rectè prosequitur. Rursus Theologus orat. 10. n. 38. S. Basilium laudat, quod paupertatem coleret in victu facile parabili memor Christi, qui carnis paupertatem nostra causa subiit, ut nos ipsius diuinitate locupletemur. Ex eodem S. Cyrillus in calce anathematismorum, allegat egregium hunc locum, decerptum è commentariis in epistolam ad Philippum. quæ non extant. [*Hoc sapienter quod & in Christo Iesu, qui cum esset in forma serui, non est rapinam arbitratum aequalem se esse Deo, sed seipsum exinanivit, formam serui accipiens. Quid pauperius sub Deo figura serui? Quid humilior sub rege omnium, quàm venire in communionem pauperis nostræ naturæ? Qui rex regnantium & Dominus Dominantium, serui formam induit, subditus sit potestatem gentibus. Dominus creaturæ, in speluncam diuertit. Qui vniuersum palmo concludit, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepio brutorum reclinatur. Mundus & immaculatus, humanæ naturæ suscipit sordes, & omni paupertate nostræ perfunctus, usque ad mortis finem peruenit. Videtis voluntariæ paupertatis mensuram.*]

S. Ambrosius in psal. 40. v. 1. [Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem: qui propter nos pauper factus est, cum diues esset. Diues in regno, pauper in carne, quia suscepit hanc pauperem carnem. Pauperes enim facti sumus nimis, qui virtutum exuias pretiosas fraude serpentis amissimus, exclusi de paradiso, eieciti de patria in exilium relegati, ipso quoque nudati corporis integumento, quod antea virtutum septa munibant, postea delicta nudarunt. Si ergo

egenus & pauper in carne, vtiq; egenus & pauper in carnis istius passione. Non ergo in diuitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoque non plenitudo diuinitatis, quæ in illo corporaliter habitat, ut scriptura testatur, sed caro passa est. Habet alia in eam rem plurima.

344 Chrysostomus hom. 17. in 2. Cor. tractans illud Pauli, scitote gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum diues esset, egenus propter nos factus est, potentem adhortationem quæ inde Apostolus Corinthios impellit ad promptè & largè erogandam eleemosinam, sic glossat. [Considerate animo expendite & cogitate, gratiam Dei, & ne obiter prætercurratis illam, sed benè coniectetis illius magnitudinem, quanta sit & qualis, & nullis rebus vestris parceatis. Ille gloriam euacuauit, non ut vos diuitiis illius, sed paupertate diresceretis; Si non credis quod paupertas diuitias facit, cogita Dominum tuum, & non ultra dubitabis. Nisi enim ille factus esset pauper, tu non factus esses diues. Nam hoc mirabile est, quod paupertas opulenter fecit diuitias. Diuitias autem hoc loco dicit, scientiam pietatis, peccatorum purgationem, iustitiam, Sanctimoniam, & innumera bona quæ nobis exhibuit, & exhibiturus est, maxime cum omnia per paupertatem factus sit nobis. Quia paupertate? quia assumpsit carnem, & factus est homo, & passus est ea quæ passus,] quod illustrat S. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli cap. 1. Et copiose in psalmum 101. in titulo, post latè descriptas Christi diuitias, [Merendum est, inquit, ne tantis diuitiis nostra paupertas faciat iniuriam. Quære adhuc tamen, ne ipse sit pauper iste, quoniam verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Respice & illam vocem, ego seruus tuus, & filius ancilla tue. Accende ancillam istam castam, & virginem, & matrem. Ibi enim accepit paupertatem nostram, ubi serui formam indutus est, semetipsum exinanienti, ne diuitias eius expaulceret, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam serui, Ibi nostram indutus est paupertatem, ibi se pauperavit, ibi nos ditauit.]

Vigilius lib. 4. contra Eutychem, cum retulisset hæc aduersarij verba [conferentium hominis infantem, & si quid aliud voluntariæ paupertatis est proprium,] subiit. [Quæ est enim eius paupertas, nisi naturæ infirmitas, quàm id quod ait Apostolus, qui cum diues esset, pauper factus est.] & S. Gregorius ad titulum psalmi 5. peruenit, qui est oratio pauperis, sic scribit. [Quis est iste pauper, cuius in hoc psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus, qui cum esset diues, pauper pro nobis factus est? &c.] Idem breuius habet 18. mor. c. 19. exponens illud, eos quos obliuiscis pes egeni hominis.

Luculentissimè Fulgentius lib. contra sermonem Faust. cap. 13. [Factus est habitus seruus, sed Dominus rerum omnium naturaliter esse non destitit. Et factus est secundum carnem pauper: nihilominus tamen secundum diuinitatem ditissimus mansit. Hinc est quod Beatus Apostolus, Christianos asserit pauper-

tate ditatos, dicens: *Nostis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius paupertate vos divites efficeret.* Nos autem divites sua paupertate nullatenus faceret, si pauper factus, naturalis divinitatis in se divitias non haberet. Idem obiter habet S. Cyrillus lib. 2. Pentab. c. 3. Sed & inter posteriores Richardus à S. Laurentio, eum locum psalmi 48. *simul in unum dives & pauper*, de Christo divite simul & paupere non semel accipit. Nam divitias, nomen Dei Verbi quod in Christo fuit mundum reconcilians sibi, apertè præfert. Paupertas verò ei qui carnem nostram induerit, incomperata esse non poterit. Ita ille lib. 1. de laud. Deipa. ferè initio, & eiusdem libri cap. 5. §. *aliter distinguere*, & aliquoties alibi.

Affines, vel iidemque tituli domini prædicti, aliunde illustrati.

346 Qui ergo Patres, Christum meritò ditatum, & dominio rerum omnium donatum dicunt, quia pauper factus erat, de hac præsertim paupertate locuti videntur, atque ita revolvuntur in propositam domini Christi rationem ex filiatione naturali huius hominis ad Deum, consequente hypostaticam unionem. Nec abhorret ab eo fundamento seu titulo domini Christi in res omnes, quod Apocal. 5. legitur, *dignus est agnus, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem.* Vox Græca quam interpretes noluerunt divinitatem, sonat divitias *πλοῦτος*, quo pacto legunt plerique Græci codices quos abs se viros testatur ibi Ribera: consentiuntque latini quidam, ut Primasius, & Tychonius. Nec abnuis Ribera quin per librarij fortitudinem, loco vocis *divitias*, poneret primò poni *divinitas*: quæ postea vox, ut sensus cohereret, & Grammatica indemonstraret, mutata sit in *divinitatem*. Ea autem lectio egregie confirmat quod dicebamus de Christo facto Domino, quia pauper factus erat. Iustissimum quippe fuit, tantæ paupertati ob salutem nostram & Dei gloriam susceptæ, rependi immensas divitias, non modò spirituales, sed etiam temporales, fundatas in supernaturali titulo, & contentas eo dominio proprietatis rerum omnium, quod Christo nunc vendicamus.

347 Fortassis autem licebit eam quoque fortitudinem, cuius mentio est in citato loco Apoc. de huiusmodi divitiis ac dominio proprietatis exponere. Opes enim quarum dominio quis potitur, sunt robur & sanguis Domini ut in opere de martyrio p. r. c. 5. tradere memini. Christus autem infimus pauper factus carnis susceptione, debuit fortitudinem ac opes divinas suscipere, & dominari omnium planè rerum creatarum. Audiendus in hanc rem Anastasius Sinaïta, sub initium libri 7. (imo 8.) in Hexameton postquam multis probasset, nomen domini, ex usu scripturarum cadere non aliquando in humanitatem, aliquando in divinitatem, aliquando in utrumque ut fabulatur Nestorius apud S. Cyrillum lib. 4. pentab. cap. 6. sed tantum in

Deum post humanizationem. [Si vis (inquit Anastasius;) etiam causam propter quam Deus nominatus est Dominus post carnis susceptionem, ego id tibi confidenter interpretabor, divinarum Scripturarum, & Sacrorum eorum interpretum habens suffragium. Celeberrimus ergo & rerum divinarum mysta Apostolicus Dionysius, dicit in Sapientissima sua Theologia, quod Deus Græcè dicitur *θεός* ex eo quod omnia *θεοῦ* id est contemplatur & afficit; Dominus autem, nempe *κύριος*, ex eo quod *κυριεύει* id est ditione habeat ac dominetur, *κύριος* enim dicitur potentia ac dominatio, ut *κύριος* dicitur, quod est *οἰκιστής* & non habet robur ac potestatem, sed vacuum & inane redditur. Rectè ergo aptèque & convenienter, in suo adventu ad hominis quando carnem suscepit, & in terra visus est Deus Verbum, tunc etiam appellatus est Dominus. Nam antea quidem nominabatur *θεός*, ut qui esset mundi *θεοκύριος*, id est contemplator & inspector. Quando autem, cum per carnem advenisset, tyrannum inimicum nostrum percussit; quando mortem morte affecit; quando nos à Dæmonum manu auulit; quando docuit impios Dei cognitionem; quando gentes à Patre accepit in hereditatem; quando possedit fines terrarum; quando dominatus est à mari usque ad mare; & à fluviiis usque ad fines orbis terrarum; tunc Dominus est appellatus, ut qui nostri dominaretur, in quos antea dominatum obtinebat Diabolus. Idque David apertè prophetans, ei dixit, Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra? Et quoniam ab ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. Et excelsus super omnes gentes Dominus Iesus. Et Dominus regnavit, decorem induit est carnis. Induit Dominus hominem, crucis fortitudinem propter ipsum qui erat infimus, & præcinxit se.] Habes Christum dominio rerum omnium donatum esse, & ut talem agnitus, ac denominatum fuisse, ratione assumptæ humanitatis, in qua excurrens est omnia illa opera quæ recensuit Anastasius.

Nisi quis malit, alium in illis operibus titulum domini Christi agnoscere, fundatum in redemptione quam operatus est per carnem susceptam. Eo ipso enim quod homo est à Christo emptus pretio, factus est Christi mancipium atque possessio, simulque omnia quæ hominis sunt, in Christi dominium cesserunt. Servus enim (per se loquendo,) quidquid habet, Domino habet, cum ne ipse quidem suus sit, sed Domini. Cum igitur hominis sint omnia visibilia, fatendum est, ea una cum homine cui Christus iure redemptionis dominatur, subiacere Christi dominio. Hac tamen ratione dominium Christi non comprehendit res planè omnes. Non enim Angelus, & quæ ad eos attinent, quia Angeli non sunt redempti, nec eo titulo cesserunt in Christi dominium. Quamquam posset non improbabiler dici, quamvis titulo redemptionis, solus homo & quæ ad hominem spectant venerit in Christi dominium; tamen eo ipso opere quo redemptionem consummavit, passione inquam & morte sua, promeruisse Christum, ut Patet tantæ erga se benevolæ

benevolentiae argumentum, compensaret dominio vniuersali rerum omnium creatarum: ita ut redemptio non quidem formaliter propter redemptio captiuorum, sed propter opus Deo acceptissimum, fuerit Christo occasio, comparandi dominium in res omnes: titulus autem eiusdem dominij, fuerit Patris donatio, tantas filij perfectiones, eiusmodi praemio compensantis.

Dominium Christi praedictum, non colliditur cum humanis dominis, & quale sit.

347 Ex his igitur, dominium proprietatis Christi Domini in res omnes videri potest sufficienter probatum atque fundatum, prolato eiusdem non vno titulo idoneo atque legitimo. Ut tamen inconcussa stet talis dominij assertio, occurrendum est duobus incommodis quae aduersus illud proposita sunt superius. Ex hoc enim dominio Christi, timebatur dominis particularibus humanis, ac etiam paupertati Christi Domini. Verum male ab hoc dominio, timeatur dominij humanis particularibus. Hoc enim dominium Christi de quo agimus, fuit quasi dominium altum. Vnde sicut diuinum dominium, quia est ordinis superioris, compossibile est cum dominis inferioribus; ita & Christi dominium. Potest quoque adduci exemplum humanum dominationis Regiae, quae probe cohaeret cum subalternis dominationibus, plerumque eundem actum respicientibus cum dominatione regia. Imo plerumque ob publicas necessitates, dominium illud regium quod altum vocant, aequè disponit de rebus, ac ipsi priuati earum Domini. Quod ergo cernitur in dominio iurisdictionis naturalis, comparato ad inferiorum iurisdictionem, itemque in dominio alto, collato cum dominio particulari; cerni quoque potest in dominio proprietatis supernaturalis; comparato ad dominium naturale & humanum.

Hinc euertitur quod opponit Vasq. 3. p. d. 87. cap. 6. nempe hoc dominium neque esse excellentiae, quod est Deo proprium, quippe fundatum in creatione & conseruatione; neque esse vtilitatis, quale est dominium particulare humanum: quia hoc genere dominij, nihil potest duobus subiacere in solidum, cum non possit aequè referri in vtriusque vtilitatem; ac proinde concludit Vasques, hoc dominium esse commentitium. Sed haec argumentatio euertitur ex dictis. Nam facile dicere possumus, dominium Christi reduci ad diuinum dominium excellentiae, cum sequatur ex filiatione naturali, & communicatione diuinitatis, Christo facta. Quamuis enim hoc dominium Christi, sit inferius diuino, & verè creatum, ac partum in tempore, tamen respondet diuino, estque quouis dominio humano superius: quia seruat proportionem cum titulo ex quo enascitur, qui sane sublimior & eminentior est quocunque titulo humani dominij. Gratis autem Aduersarius, omnem titulum dominij à dominio vtilitatis distincti, censet esse creationem &

conseruationem. Alios enim praeterea idoneos titulos protulimus, quibus illud Christi dominium sublimius quouis humano dominio, niti possit. Facile item admittere possumus, hoc Christi dominium esse dominium vtilitatis ad sensum Aduersarij, qui vocibus hac in parte gratis abutitur: cum dominium vtilitatis, siue dominium vtile, longe aliud sit à perfecto & pleno dominio proprietatis de quo agimus, ut constat ex 2. 2. Nihil ergo obstat, quominus hoc dominium Christi, vocemus dominium vtilitatis, quia ratione eius Christus, potest propter liberitatem fructus rei percipere, de qua ea disponere tradendo illam alteri, eamve destruendo: quamuis quamdiu de illis fructibus non disponit, tamen non destruit, perstet sub dominio eius qui titulo humano sortitus est eius dominium. Quae est ratio quae Aduersarius cohaesionem diuini dominij (supremi cum dominis particularibus humanis) sufficienter à se monstratam putat: aequè autem (ut vides), hic locum habet, ad cohaesionem huius dominij Christi, & dominij priuatorum hominum demonstrandam. Itaque primum illud caput difficultatum, contra supernaturale dominium proprietatis Christo à nobis tributum, euanesceat.

An cohaereat cum Christi paupertate. De ea, pluscula.

348 Altera difficultatum acies quae hoc dominium Christi impeditur, continetur reuerentissima in Euangelis & Patribus paupertate Christi, quam fuisse altissimam paupertatem statuit Med. C. de elemos. q. 8. ad 4. quæstionem. Et voto firmatam fuisse, censet Suarez t. 2. 3. p. d. 28. l. 1. & l. 3. de voto cap. 1. n. 4. Quod tamen non sit certum quoad voti accessionem, tamen quoad paupertatis exercitium, est extra dubium. Constat enim ex Euangelis, Christum egentem vixisse, & vili ac plebeio victu & vestitu contentum, carnis curam non fecisse diuitum more qui induuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendide. De vestitu dictum est cum de Christi humilitate, ibique ostensum, vestem Christi inconsutilem lummè sanctam, ut latè prosequitur Card. Vigerius toto tract. de instrumentis Dominicae Passionis, fuisse vestem pauperum plebis Galilaeae & minor Da-lengerium qui l. de vestibus Pontif. c. 1. primum agnoscit eam vestem fuisse vulgarem & simplicem, postea addere fuisse pretiosam, argumento ducto ex eo quod eam serare milites noluerint, ut vni integra cederet. Verum id factum ab eis est, quia ea tunica erat inconsutilis, cuius discessit fragmenta fuisse inutilia, non autem ob pretiositatem, quae potius ad diuidendum pellexisset.

Similiter in calceorum genere, illud elegit Christus, quod erat omnium abiectissimum. Imo quod egestatem ampliore praefert, non pauci nudipedem. Item fuisse Christum contendunt, ut Pet. Dam. opus. 12 c. 15. in fine, scribens. [Nunquid & ipse Dominus prouidere sibi calceamenta non potuit, cuius Gentilis perfidia, sola inter se vestimenta diuisit? Nam si ei minime calceamenta decissent,

de illis etiam Sacrae historiae series non tace-
ret. Idem tradunt S. Bonavent. r. 1. Opusc.
epistola de hoc argumento, Catharinus l. 2.
contra Caietanum in animaduersis, ad cap. 1.
Marci, Abulensis in c. 3. Math. q. 68. quibus
ex parte assentitur Malonius, latè de hac re
differens ad c. 19. Palæoti de Sacra Sindone,
ferè initio. Et quamquam verisimilius sentiunt,
qui Christum communem vitam iustissimis
de causis professum, (vt Suares disp. illa 28.
f. 3. latè prosequitur, non nudipedem quod à
communi vita abhorret, sed calceatum fuisse
pronunciant, vt cum S. Augustino serm. 42.
de Sanctis, aliisque permultis Patribus quos
proferunt censent Suarij ibid. *sub finem*, Tole-
tus in c. 1. Ioan. annot. 65. Iansen. c. 35. Con-
cor. Ribera fusè Ioan. 1. ad illud, *vt soluiam eius
corrigam*, Iustinian. disp. 1. in Paulum c. 4. n. 18.
Bonac. de Incar. disp. 3. q. 2. p. 6. n. 2. & Baldui-
nus lib. de calceo c. 26. Tamen in calceorum
genere elegit Christus quod erat vilissimum;
nempe solos siue sandalia, quæ magnam pe-
dis partem intectam relinquerent, vt nudæ
necessitati vtcumque satisfaceret, & pauper-
tatem simul exerceat, cuius vbiq; occasio-
nes captabat.

349 Denique Christus, in vniuersa vitæ
& corporis cutandi ratione, paupertatem
adumavit, at ne tardus ad eius amorem pro-
cedendum videretur, ab ipsis cunabulis tantum
paupertatis affectum exhibuit, vt merito S.
Anselmus in speculo Euang. sermonis cap. 4.
alloquens Christum, dicat. [Et tu Domine
vniuersorum, qui nullam habens indigen-
tiam, inter ipsa natiuitatis initia, non horri-
fisti abiectionem paupertatis degustare incom-
moda. Vtenim ait Scriptura, *ibi cum nasce-
retis, non erat locus in diuersorio*, neque cuna-
bula, quæ tunc tunc inueniuntur tuam exciperent
habuisti, sed tu in vili præsepio sordentis sta-
buli, qui terram palmo concludis, inuolu-
tus panniculis, redimatus es, & hoc ipsum à
brutis animalibus mater tua mutuo accepit.]
Et conuersus ex tantæ paupertatis conside-
ratione ad mortales, in sanis falsis, (imo vt
S. Maximus pace Psalms, eius verba corrigit)
insanitiis veris miserè delusos, & lutum con-
tra se densum aggerentes, exclamat. [Conso-
lamini, consolamini, qui in sordibus pauper-
tatis enutrimini: quia vobiscum est Deus in
paupertate. Non cubat in deliciis splendidi
cubilis; nec enim inuenitur in terra suauiter
virentium. Quid ultra gloriaris ô diues, in re
lutea, in volutabro lecti picti & delicati, cum
Rex Regum, suo recubitu stramenta paupe-
rum honestate maluerit.]

Petrus Cluniac. l. 1. Epist. 20. paupertatem
religiosam Giselberto commendans, [Pauper
ille fuit (inquit) non habens vbi caput re-
clinaret, necis per quem mundus factus est,
mundum ingrediens, propriam domum in
qua nasceretur inuenit, sed reclinavit eum
mater in præsepio, quia non erat ei locus in
diuersorio. Pauper ille fuit qui de censu Re-
gis reddendo consultus, cum nihil apud
hominem vnde illum posset reddere inuenis-
set, ad inexhaustos Deitatis thesauros se con-
tulit, & quod de domestica arca non potuit
de ore piscis, hamo Petri Apostoli perfoluit.

Pauper fuit, qui cum panis esset Angelorum,
pane sæpè reiciebatur Publicanorum. Pauper
ille fuit, quem nunquam seges propria pavit,
nunquam vitis ab eo culta potavit, nunquam
gregis sui vellus protexit, nunquam pecu-
nia quæ vel ex innumeris miraculis congre-
gari potuisset, ditauit, qui nec cœnaculum
vbi vltimum Pascha iam passurus, cum disci-
pulis manducaret habuit, sed à Patre familias
mutauit, dicens, *vbi est diuersorium vbi Pas-
cha cum discipulis meis manducem?*] Insigni-
ter planè de Christo (vt ait) *paupertate*, dis-
putat S. Hilarius in psal. 39. ad illud, *cognoui
quia faciet Dominus iudicium inopis*. Locus est
ex plenior S. Hilarij editione petendus. Bre-
uiter in calce psalmi 69. ad illud *ego verè egen-
us & pauper sum*, vbi negans hæc Davidi,
(quippe Regi,) quadrare, ait esse Christi vo-
cem: qui vt nos disceremus, pauperem se
præstitit, cui ne ad supremam quidem cœ-
nam, nisi quæ sita, & aliena domus fuerit. Il-
lud item psalmi 40. *beatus qui intelligit super
egenum & pauperem*, Theodoretus ibi pul-
cherrimè de Christo exponit, itémque S.
Ambrosius.

350 Hæc de Christi paupertate quasi
personaliter. Nam illa quidem paupertas qua se
in omnibus pauperibus fecit, admissibilissima
est, & à Saluiano l. 4. ad Eccles. à medio, opti-
mè suscipitur. Non est tamen huius loci Ele-
gantissimè tamen ex ea insert. S. Ambrosius
lib. de Tobia c. 4. non esse quod diuites me-
tuant scelerare pauperibus. Attexo loci
mellitissimi partem, quia orsus à paupertate
capitis, desinit in personalem de qua agimus.
[Nolite (inquit,) iam inuidentem me vestris
commodis æstimare. Putatis quod hominem
subtraham. vobis debitorem? Dominum
proinde, Christum subrogo, illum demon-
stro qui vos frandare non possit. Fenerate
ergo Domino pecuniam vestram in manu
pauperis. Ille adstringitur & tenetur, ille
scribit quicquid egenus acceperit. Euange-
lium eius cautio est. Ille promittit pro om-
nibus indigentibus, ille dat fidem. Quid du-
bitatis dare? Si quis vobis Diues huius sæ-
culi offeratur, qui fide promittat sua pro ali-
quo debitore, statim numeratis pecuniam.
Pauper est vobis Dominus cœli, & conditor
mundi huius: & adhuc deliberatis, quem di-
torem quæritis fidei flosorem? Sed allegatis.
Quare pauper factus est, cum diues esset?
Vidistis ergo quia fides eius diues est, fides
eius idonea est. Pauper factus est, cum pro
nobis soluerit, & adhuc paupertas ipsa non
decipit. Nos enim diuites fecit, quos pau-
peres putabatis. Dicit enim Apostolus, *pau-
per factus est, cum diues esset, vt illum inopia vos
disceremini*. Bona inopia, quæ largitur diui-
tias. Nolite ergo paupertatem timere, vt sitis
diuites.] En ergo Christum & in pau-
peribus pauperem, & per-
sonaliter quoque
egenum.

Num Christus non pauper modò, sed etiam mendicium fuerit.

351 Quid quod non pauperem modò, sed & mendicium fuisse Christum, & mendicatio comparasse tenuem illam sustentationem qua victitabar, graues autores prodiderunt? Imo Valdensis lib. 4. doct. cap. 3. & 4. & Catharinus admodum fuscè lib. 2. contra Caiet. in notis ad cap. 5. Matthæi, contendunt Ecclesiam definiuisse de fide, mendicitatem Christi contra Goliellum de S. Amore: disertèque asserit Catharinus, Christum non modò fuisse statu mendicium, quod multi Patres tradunt, versantes illud psalmi 39. *ego autem mendicium sum & pauper*, apertèque Nazianz. orat. 41. *sub finem*, sed etiam de facto mendicasse. Refragantur tamen Castro v. mendicitas, Ioan. Med. C. de elemos. quæst. 8. ad 5. *questum*, Caietanus Matth. 5. & latè Palacius Ioan. 4. enarrat. 1. *sub finem*. Non esse sanè ex fide certam Christi siue mendicitatem siue mendicationem, extra controuersiam statuo. Nihil enim reuera profertur, quod eam definitionem suadeat. Item non mendicasse Christum ante prædicationis tempus, quicquid comminiscantur Nouatores, reiecti à Suare t. 2. 3. p. d. 17. f. 3. exploratum dico. Nisi sortè per triduum illud quo duodenis à parentibus absuit, vt meditatur Aelredus sermone de Dominica infra octauam Epiphaniæ, (qui perperam S. Bernardo tribuitur,) sic enim habet. [Per illud triduum autem, inuenerunt eum in templo. Per illud itaque, ubi eras bone Iesu, quis cibum aut potum ministravit? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia vnguentis fouit, & balneis? Scio certè quia sicut tua voluntate, nostram sumpisti infirmitatem; ita cum velles, propriam ostendisti virtutem: & ita cum velles is obsequiis non eguisti. Vbi ergo eras bone Iesu? De his omnibus æstimate, vel conuicere, vel opinari libet aliquid: asserere temerè, nihil licet. Quid dicam Deus meus an vt per omnia nostræ conformareris paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum, stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me bucellarum illarum sic mendicarum participem fieri, vel saltem diuini illius edulij reliquiis saginari.]

Extra illud quoque triduum, initio iam Euangelij cursu, mendicasse aliquando Christum, piè asseritur, & consentaneè ad paupertatis exercitationem tanto exemplo commendandam. Fauetque quod psalmo 108. Iudas interprete S. Petro Actorum 1. dicitur *persecutus hominem inopem & mendicum*; nempe Christum. Itemque quod 2. Corinth. 8. Christus *cum diues esset dicitur factus egenus*. Verbum Græcū *ἐν ταπεινότητι* propriissimè sic vertitur, *mendicum factus est*. Dixit quidem Armacanus Christum non potuisse esse mendicum, quia erat inextremabilis dominij proprietatis quod Adam innocens habuit. Alius autem quidam Anglus apud Gersonem p. 3. serm. de Natiu. Virg. consider. 1. blasphemiz damnauit Christi mendicitatem, eo

quod Christus haberet multis titulis ius petendi, quod Doctor ille censebat cum mendicitate pugnare. Sed omnes huiusmodi rationes sunt apertè inanes. Quare admitto piè credi, Christum mendicasse.

Vrgetur ex dictis difficultas mota, circa dominij & paupertatis in Christo cohesionem.

352 Exclamarim hic iure cum S. Ambrosio præfatione in psalm. 35. difficultatem quam in consensione plenissimi dominij & paupertatis cerni diximus, præsentiente. [Veni Paule, interpreta quæ ratione Dominus cæli atque terrarum se pauperem dixerit, quæ sit ista paupertas. Tu certè illum diuitem dixisti. Quomodò idem diues & pauper est, audiamus testimonium Pauli; *scitis* (inquit) *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter vos pauper factus est, cum diues esset, et vos eius inopia diuerimini*.] Nec minùs concinnè Augustinus ad titulum psalmi 101. [sic ipse est (ait de Christo) quomodò pauper. Nam quomodò diues, quis non videt? Vnde enim homines sunt diuites? Puto auro, argento, familia, terra; sed omnia per ipsum facta sunt. Quid ergo ille diuites? Per quem factæ sunt diuitiæ, illæ etiam quæ non sunt veræ diuitiæ? Per illum enim & illæ veræ diuitiæ, ingenium, memoria, mores, vita ipsius corporis, sanitas, census, confortatioque membrorum. Etenim cum hæc salua sunt, & pauperes diuites sunt per illum, & illæ maiores diuitiæ, fides, pietas, iustitia, charitas, castitas, mores boni. Nemo enim & has habet, nisi per eum qui iustificat impium. Ecce quàm diues. Quis enim magis diues, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult, & alio habente? Puto quod diuitior ille qui fecit quod habes: quia quod ille habet, tu non habes. Ecce quàm diues in hoc tam diuite, vnde agniti sumus hæc verba? *Cinere sicut panem manducabam, & potum meum cum fleu miscebam*. Vnde illæ, hucite illæ tantæ diuitiæ perueniunt? Multum illud excelsum, multum hoc abiectum. Quid faciemus? Quemadmodum illa ima, illis hominibus contemperabimus? Nimis ad inuicem longè sunt.] Tandem S. Bernardus serm. 1. de resurrectione. [Septemplex occupauit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionum in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde. Prima est lepra domus, quia diuites esse volumus in hoc sæculo; sed ab ista mandamur, si immergimur in Iordane, id est in Christi descensu, quo propter nos pauper factus est. Qui benè mergitur hic, quando querit diuitias huiusmodi. Et verè magna abussio & magna nimis, & diues esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis, & Dominus Sabaoth, voluit pauper fieri.]

Sanè dissidente paupertatem Christi, & dominium quale proposuimus affirmat Valentia 3. p. d. 1. q. 22. p. 6. verlic. *probat igitur*. Itaque indirectum duntaxat dominium in res omnes Christo concedit, quatenus ad finem

finem supremæ spiritualis potestatis quæ pollebat, necessarium esse potuit. At dominium directum, quale concessimus, negat posse cum paupertate Christi in Scripturis testatissima, federari, cum notio pauperis excludat dominium. Confirmari potest ea opinio, quia Ioan. 22. Extrau. cum inter nonnullos, & Extrau. quia quorundam, definit Christum habuisse interdum dominium aliquarum rerum. Non igitur omnium, cum ibi doceat Christum fuisse exemplar paupertatis. Nimirum venerat Christus adiuuare pauperem de inopia, vt piissimè illud psalmi 106. accepit Nysl. tract. 1. in psal. c. 8.

Resolutio, & cohesionis declaratio.

353 Statuendum nihilominus est, paupertatem non excludere quodcunque dominium: atque adeò Christum etiam si pauperem, merito dici, habuisse dominium rerum omnium: Quia paupertas rectè coheret cum dominio, quando potestas vtendi est ligata. Quia ratione olim tempore Valentiniani Imperatoris, religiosi omnes retento dominio bonorum, vocabant paupertatem, vt rectè confirmat Vasques t. 2. d. 165. c. 6. & Basilius Poncius quodlib. 3. Scholast. c. 9. Hodieque in Societate nostra, Scholastici approbati, per vota simplicia quæ emittunt, constituuntur substantialiter religiosi, vt Gregor. XIII. definitiuit: & tamen retinent ad tempus bonorum suorum dominium, sed ligatum; ita vt non possint de bonis illis disponere, nisi ad nutum Præsidum, quod coherere cum religiosa paupertate, probatum fuisse est 2. 1. & latè confirmant Ribad. l. de instit. Socier. cap. 18. Nauar. comment. 1. de regular. membro 19. Rodericus in qq. regular. t. 1. q. 1. art. 4. Vasq. t. 1. d. 165. c. 6. & Suares tract. 10. de relig. l. 4. c. 4. Quidam igitur potuerit quoque Christus Dominus, & dominium verum omnium obtinere, & tamen pauper esse, quia dominium quo potiebatur, habebat legatum, siue interposito voto, vt fert pia sententia superius propolita, siue per propositum abstinendi vii talis dominij. Quod propositum in Christo Domino, satis superque esse poterat ad firmitatem abstinentiæ prædictæ qualem nos per vota querimus. Neque enim par fuit, Christum recedente à voluntate perfectioris vitæ semel conceptæ, etiam si id posset absque peccato. Itaque abstinencia ab usu dominij, tali quæpiam vinculo aut voti, aut propositi, firmata; satis fuit ad paupertatem prædictam quia Deus non tam attendit dominium & potestatem in actu primo, quàm exercitium eius aut vsum, qui æquè impeditur per prædictam paupertatis professionem, ac si dominium abiiceretur. Simile est, cum coniugati retenta mutua potestate in corpore, vouent continentiam. Retinent enim potestatem vtendi coniugio, ita vt si post votum commiscerentur, non essent adulteri, nec delinquerent contra iustitiam: & tamen quia potestas illa est ligata per votum, nec possunt absque scelere reuocare illam ad vsum, salua est continentia, & abstinencia eorum; nec minus perfecta, quàm sit eorum qui

post pudicitie naufragium, intra vel extra matrimonium, vouent continentiam absque superflite coniugij vinculo. Similiter ergo Christus, pauper esse potuit obligatum sponte dominij vsum; & simul dominio illo potiri; dominio inquam non orto ex titulo temporali, (qualem circa per pauca & interdum dumtaxat habuit, vt rectè sanxit Ioan. 22.) sed supernaturali in vnione hypostatica fundato, atque perpetuo: quod non temerit paupertatem Christi. Eiusque imitatione Religiosi quibus id indulsit Ecclesia, possunt dominium ligatum cum paupertate federare, nec erit illorum paupertas coram Deo minus meritoria, & in genere virtutis, (quidquid sit per ordinem ad ciuiles quosdam effectus,) minus perfecta quàm eorum qui dominium non retinent. Quamuis autem admitteremus, paupertatem non vsus tantum, sed & dominij exclusiuam, esse in nobis perfectiorem paupertate coerente cum dominio; tamen in Christo non ita esset, vt rectè vidit Mol. tr. 2. de iust. disp. 28. ferè in fine: quia in Christo, nihil timendum fuit à voluntatis mutabilitate, quæ in nobis superflite potestate ac dominio, suspicionem instabilitatis potest facere.

354 Est igitur Christus, ditissimus simul ob dominium rerum omnium, atque pauperimus, ob eiusdem dominij voluntariam impeditionem. [Quis enim verè diues (vt cum S. Ambrosio dicam, in apologia David c. 5.) nisi Dominus noster Iesus, qui de se ait, vt hodie lectum est, quod homo quidam cum diues esset, abiit in redigionem longinquam, accipere regnum & reuertit. Et verè diues erat? Maiestatis suæ opibus, & diuinitatis propriæ plenitudine, cui Angeli, & Archangeli, virtutes, & potestates, & principatus throni, & dominationes, Cherubin, & Seraphin, indefesso obsequio seruebant. Sed tamen cum diues esset, reliquit nonaginta & nouem in montibus oues, & vnâ ouem quæ lapsa remanserat, requisit. Id est, factus simul est pauperimus, vt eius opibus ditaremur. Idem de benedict. Patriarch. c. 9. tractans illud, *Aser pinguis panis eius*, sic habet. [Aser interpretatione significat diuitias. Quis igitur diues, nisi vbi altitudo diuitiarum est, sapientior, & scientia? Quis diues, nisi Dominus Iesus, qui abundat semper, & nunquam deficit? Pauper venit in hunc mundum & omnibus abundauit, Vniuersos repleuit. Quantus est in diuitiis, qui paupertate sua omnes diuites fecit. Sed pauper propter nos, diues cum Patre. Pauper ille, vt nos ab inopia vindicaret, sicut Apostolus docet, dicens: *quia propter vos pauper factus est, cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini*. Cuius inopia ditat, sanat imbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat.]

355 Nec iniuria (tamen si alio sensu) dixerit quis de Christo, quod Diogenes referente Clemente Alexandrino lib. 7. Strom. c. 3. aiebat de diuitibus huius sæculi, quos sacræ literæ, vt aduertit S. Ambrosius l. de Nabuthe c. 14. & 15. verè pauperes esse docent, & ad summum viros diuitiarum, qui scilicet habeantur à diuitiis, non diuitias habeant ipsi.

Quo item modo pronunciant de eis Seneca lib. de vita beata c. 22. Huiusmodi igitur divites, Diogenes supra securam plerumque sapiens, vocabat *μυδαρονες*, id est *divites egenos*. Nomen quod istis probrosum est, quia quoad eos est foeda ad res fluxas astrictione ducitur, Christo est perhonorificum, quo divites simul & egentissimus esse voluit. Illud, quia etiam in humanitate, Dei filius erat; hoc quia dominum quo potiebat, lubens ac volens legavit. Itaque ad eum pietatis sensum iure hinc excitari Lectorem, qui Theodosium Ancyronum movit orat, de Nativ. Saluat. in Conc. Ephesino, & Rupertus l. 7. in Genes. c. 30. qui considerat, hanc Christi paupertatem peperisse ingentes divitias quibus Ecclesia Dei ditata est per Christianos Principes, & alios passim fideles; quibus iunctissimum fuit, opes suas Christo rependere in sponsa sua. Notum ex Thoma Stapletonij Romae Christianae magnitudine, notum ex Thoma Bosij l. 22. de signis cap. 4. num. 56. quantopere excreverint divitiae Ecclesiasticorum. Nec pauca in eam rem praefero, in opere cui titulus, Mala bonorum Ecclesiasticorum. Haec omnia, & fodinis paupertatis Christi sunt eruta.

Præcellentia prædicti domini Christi ac primum eius extensio.

356 Attingenda superest huius Christi dominij excellentia; quæ tanta est, ut in Scripturis, *solus Dominus* nominetur. Ut apud Iudam, *solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*. Et Apocal. 17. ac 19. dicitur *Dominus Dominorum*. Eodemque Glossa 2. Petri 2. ad illud *dominatorem contemnant*, refert, quod Christus in abstracto nominetur *dominatio*. Censet enim eo loquendi modo, significari dominij Christi præcellentiam supra alia quævis dominia: quam petere licet, vel penes obiectivam extensionem dominij, vel penes cætera dominij adiuncta; puta durationem, & stabilitatem; in quibus omnibus facile esset proportionem monstrare præcellentiam dominij Christi supra humana quævis dominia: sicut monstrata suo loco est præcellentia divini dominij, supra creata quæcunque dominia. Vide quæ in eam rem fusè dixi in Naturali Theolog. dist. 7. q. 3. art. 4.

Extensio quidem obiectiva, tanta est, ut nihil Deo & Christo inferius, ei subducatur. Nihil enim *dimisit Deus non subiectum ei*, ait Apostolus & Evangelista. *Omnia dedit ei Pater in manus*. Rursusque Paulus *quem constituit heredem universonum*. Hinc ortum videtur, ut absolute, Christus dicatur *Dominus*. Sicut enim quia regimini Christi est extensum ad omnia, ideo Christus dicitur *Rex* absque addito, ut dicemus infra cum Chrysostomo in psal. 44. Ita quia dominium Christi preterditur in omnia planè creata. Deo & Christo inferiora nullo exemplo, Christus absolute dicitur *Dominus*: contra quam vulgares domini, qui tantum cum determinatione certorum obiectorum dicuntur Domini, manifesto restrictionis dominij argumento.

Fortassis autem huc referre liceat, quod Orig. hom. 1. in Ezech. affirmat; Ezechielum etiam ipso nomine, Christi figuram gerisse. [Interpretatur quippe (inquit) Ezechiel, imperium Dei. Imperium autem Dei nullum est, nisi Christus Iesus.] Quorsum vocaret Origenes, Christum imperium Dei, nisi quia censuit adeò latè parere Christi regnum, ac divinum imperium, quod ad omnia, Christo inferiora diffundi liquet.

Eiusdem tituli nobilissimi.

357 Iam titulus dominij, in Christo est sublimissimus & eminentissimus. Nam & est unio hypostatica, quæ est in vertice sapientiarum naturalium, & donatio Dei, & redemptio hominum. Videri potest Spiritus sanctus eos omnes titulos complexus, in eo nomine quod inde voluit hircos illi qui occidebantur dimisso compare. Nomen quippe virali qui pro peccatis populi mactabatur erat, *Dominus*: ut bene notat S. Cyrillus l. 9. in Iulian. t. 2. duos illos hircos, ad duas Christi naturas, & incarnationis mysterium adaptans. Idcirco ergo hircus qui occidebatur, dictus est *Dominus*, quia Christus vi adveniens sui ad necem pro nobis subeundanti, & vi prerogatiarum quas consequenter ad eum adventum habuit, factus est Dominus omnium & hæres universonum. Pertinent ad eas prerogativas prædicti tituli, qui omnes iustissimi sunt & nobilissimi, quorumque ratione cessat in hoc dominio, quod de vulgaribus dominis fert antiquum effatum, [omnes divites, aut est iniquus, ut iniqui hæres.] Quia scilicet ordinatus modis comparandi dominium proprietatis inter homines, dominus in iustitiam; saltem ex parte eorum peti, quos primum radicatus & confectus est altitudo dominij titulus. Et idcirco etiam Christus ipse vocavit divitias, *memoria iniquitatis*, indicans viam ordinariam qua comparatur. At omnes tituli prædicti, sunt innocentissimi, & à cuiusquam iniuria liberissimi. Et sicut Christus non est rapinam arbitratos esse se æqualem Deo, ita neque omnium dominatus, & omnia sibi pleno iure habere subiecta.

358 Quia verò saltem unus ex titulis propositis est Christo coævus, nempe filius naturalis consequens unionem hypostaticam collatam Christo à primo puncto sui esse; idcirco dominium Christi non est sicut cætera humanà; quæ vel tardè advenit, puta post partus obitum, ob finitatem dominiorum naturalium & humanorum, quæ non se compariuntur; aut post labores quibus sint comparata; vel certe si ab initio aliqua bene fortunatum sint assecuta; tamen defectu libertatis & rationis, quæ sunt dominij exerciti fundamenta, perinde se habuerunt, ac si prorsus defuissent. At Christi dominium, fuit perfectum à primo concepti Christi momento. Quamvis enim vocetur à Apostolo *hereditas universonum*, tamen est hereditas patris cui nullus succedit, quia est immortalis & æternus. Unde eius filius, ex quo capax est potius hæreditatis, autem

autem semper fuit capax,) debet hereditatem adire. Atque ita hoc dominium non aduenit Christo procedente tempore, sed ab ortu suo in vtero: id est à conceptu. Nam iam ex tunc inerat Christo vnio hypostatica, quæ est titulus primarius huius dominij. Adit Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 89. titulum quoque redemptionis, iam tunc fundasse hoc Christi dominium; eo quod Christus iam ab eo momento obtulerit se Patri in redemptionem pro multis, idque Pater ex tunc acceptavit. Verum cum hoc dominium non consequatur ex voluntate redimendi acceptata, sed ex redemptione consummata; quæ dilata est vsque ad Christi mortem; præstat exitum huius tituli, cuiusque differe. Quod si dicamus hoc dominium datum esse Christo ab initio, vt compensaretur paupertas pro nobis ab eo suscepta. Hæc quidem si agatur de primaria paupertate, eadem est cum susceptione humilitatis, atque ita hic titulus distinctus. Sed non video in quo possit fundari, nisi si coniungatur cum vnione, aut potius cum redemptione cuius est veluti adiunctum. Et sic habebit multo magis locum in Christo, quam in Moise, quod Philo li. 1. de vita Moysi de eo dixit. [Quoniam auaritiæ renunciauerat, & diuitis honoratis apud homines perfectas maximamque diuitias, pro his ei Deus reddit; hoc est vt tantundem possideret, quantum terra, & maria, ac flumina, elementaque cetera, & quæ ex his sunt condita, (fecit enim suæ potentie participem, totum mundum ei subdens tanquam hereditarium): quamobrem singula elementa obediabant vt Domino, ad iustum eius suas vires mutantia. Nec mirum, quandoquidem iuxta prouerbium, amicorum omnia sunt communia: amicus autem Dei Propheta dicitur. Vnde consequitur, vt diuinæ possessionis vsum habeat. Nam Deus nullus eger, cum possideat omnia. Bonus autem vir nihil propriè possidet, nec seipsum quidem: verum de thesauris Dei, quantum potest accipit, & merito, cum mundi cuius sit: idem nullam priuati in orbe habet patriam; quippe qui hereditatem habet, non vniam quampiam regionem, sed mundum vniuersum.]

Stabilitas inconcussa.

359 Stabilitas denique dominij Christi, est planè singularis. Nullus enim finis erit huius dominij. Imo de nulla caducitate periclitatur, vnde dominij quibusuis humanis semper est timendum. In primis quia in imagine pertransit homo, id est sicut umbra, quæ est corporis imago, & hoc secundum hoc, vt dixit Ecclesiasticus cap. 34. vnde fit vt homo thesaurizans ignoret sæpè cui congreget, res parvas, id est vt Augustinus perpendit, quæ homo summo cum dolore & connixu qualis est patientium adipiscitur. Deinde quia plerumque superstitie ipso homine, dilabuntur fluxa hæc bona propter mutabilitatem tituli, vnde dominia nostra exoriuntur, & casuum

quibus obnoxia sunt varietatem immensam. Basilius hom. quod non sit adhaerendum rebus secularibus, insigniter id versat, his præter cætera. [Nam si quidam infinitam vim auri in hac vita aliqui coaceruant; idcirco perpetuo illis aurum hoc proprium manet. Sed vel à viuientibus adhuc, licet vndique obligatum ad potentiores transfluens aufugit; aut in mortis iam articulo constitutos deserit, nec vult vna cum possessoribus suis emigrare. Sed isti quidem ab eo qui animas violenter à misera hac carne separat, ad necessariam compulsi emigrationem ad pecunias crebro respiciunt, & quos à prima ætate sudores illorum gratia tulerunt deplorant. Diuitiæ verò illorum manibus inhiant istis colligendi tantum labore & auaritiæ crimine inflecto. Neque si terræ quisquam innumera possideat iugera domos magnificas, omnis generis animantium greges, & omnem acquirat inter homines potentatum, perpetuo istis fruatur: sed modico quidem tempore ab ipsis nominatus, aliis iterum opulentiam suam cedit, ipse exigua tellure conditus. Sæpènumero autem & antequam sepeliatur, & antequam bonis cedat, videbit illas in manus venisse aliorum; idque forsan inimicorum quoque. Aut ignoramus quam multi agri, quam multæ ædes, gentes & vrbes, adhuc illis viuientibus à quibus olim possidebantur, aliorum dominorum nomina induerunt.] Verus observatio est, quam perpulchrè prosequitur Alerius homil. de Oeconom. iniquitatis, adeo instabilia esse nostratia dominia, vt si cuiuscunque agri glebæ singulæ, cum singulis dominis agri conferantur, multo plures competendum sit præcessisse dominos quam sint glebæ in eo agro quantumvis patiente & expasso. Sapienter id indicant, qui nummum (quod est metrum dominiorum & rerum sub dominia proprietatis cadentium,) voluere efformari rotundum. Nempe vt philosophatur Hebraeus Commentarius sententiarum Bensyæ circa 10. vt intelligeremus rotam fortunæ versare dominia nostratia, & rem quæ nunc penes vnum est, mox ad alium transiit. Id quod etiam à D. Augustino notatum memini. Fusè de hac vertigine & instabilitate nostratium dominiorum proprietatis, dissero in Morali dist. 1. q. 3. art. 4. à n. 129. Nihil horum circa Christi dominium locum habet, vt patet ex dictis de firmissimo & fundatissimo eius titulo.

Vsus doctrinæ.

360 Commodum in hac clausula est S. Chrysostomi monitum, oratione de Calendis. [Intueri in cælum, terram, mare, ætrem, in genera animantium, ac varietatem stirpium in naturam hominum vniuersam; considera Angelos Archangelos superiores potestates, reperta hæc in Domini tui ditione esse. Haud fieri potest vt Domini tam locupletis præsertim si propitium habeat dominium pauper quispiam seruus sit. Curandum tamen omni ope esse ei qui se Christi seruum dicere voluerit vt dignè eo nomine viuat, nec in eo sit cur confundatur cum habere seruum præ-

clare docet idem Chrysostomus hom. 25. in ad Hebr. immediatè ante partem mortalem.

Quod vero in hanc rem potentius incensum, quàm quod usus dominij tam sublimis, tamque perfecti ferè Christo defuit, ut dictum est; cum Christus etiam sumptus cum Collegio Apostolico, paucissimarum rerum & perexiguarum dominium exprompserit, & amplissimum illud quo potiebatur supernaturale dominium, voto aut proposito ligaverit, ut præmissi. Quod ea tamèn liquorum penes se tenuem usum esse voluit, præluxit sæculi divitibus, ut de iniquo mammona facerent sibi amicos; cum ipse ex reculis illis

quæ apud Iudam infidum procuratorem asseruabantur, egenis decidi suam portionem identidem iuberet; Quod indicant voces illæ Apostolorum, qui exeunte è cœna extrema, proditores, ad illud Christi verbum, *quod facite, fac citius*, imaginati sunt, iussisse Christum Iudæ, egenis aliquid daret: nempe quod ita consuevissent, eaque ex causa habuisse Christum loculos, Chrysostomus in Ioann. hom. 71. notavit. Itaque potest esse hæc illecebra non exigua, ad largitatem. Affine est quod S. Hilarius in psal. 14. *in fine*, vsurarium commonet exemplo Christi, qui se exhausti propter inopes, ut abstineat crudelitate erga inopes,



SECTIO